

DISSERTATIO
DE
OFFICIO HOMINIS,
QVOD ALIIS DEBET RA-
TIONE SVMMÆ IPSORVM
FELICITATIS HABITA,
EX PRINCIPIIS RATIONIS DEDVCTA

QVAM
INDVLGENTE
INCLYTO PHILOSOPHORVM ORDINE
IN
ALMA PHILYREA

D. XXII. MART. M DCC XIII.
VIRORVM VSV ET CVLTVRA RATIONIS
POLLENTIVM EXAMINI
SVBIIICIT

PRAESES
M. DANIEL GOTTLIB METZLERVS,
ERDMANSD. MISN.

ET
RESPONDENS
CHRISTIANVS GOTTLIB BEVTHNERVS,
STRISENA MISN. SS. Theol. Cultor.

LIPSIÆ,
LITERIS JOANNIS GOTTLIBII BAVCHIL.

15.

a. LXXVII. 50.

oll. diss. A
7, 50

VIRO

Summe Reverendo, Magnifico, atque Excellentissimo

DOMINO

GOTTFRID OLEARIO,

Sacrarum literarum Doctori, earundemque in Academia Lipsiensi Professore Ordinario celeberrimo, Ingenui Præfulatus Misnenfis Canonico, & Colleg. Maj. Princip. Collegiato, & reliqua

nec non

VIRO

Summe Reverendo, Magnifico, atque Excellentissimo

DOMINO

CHRISTIANO FRIDERICO
BOERNERO,

SS. Theologiæ Doctori, ejusdemque in hac Academia extra ordinem, Græcarum vero atque Romanarum literarum ordinario Professore meritissimo, Nationis Bavaricæ Seniori, Bibliothecæ Paulinæ Directori, & Colleg. Maj. Princip. Collegiato, &c.

Patronis ac Præceptoribus suis devoto
pietatis affectu colendis,

Hoc quaecunque ingenii opus sacrum esse cupit

Præses.





A. Ω.



Ummis omnino laudibus prædicanda sunt virorum eruditione solida illustrium merita, qui præstantissimam Juris naturæ disciplinam, superiori seculo ex tenebris protractam, magis magisque exornandam & expoliendam existimarunt. Quamquam autem pauci in eodem principio demonstrationibus suis substernendo conveniant: in eo tamen fere omnes conspirant, ut ea tantum officia aliis hominibus præstanda delineent, quæ externam felicitatem & tranquillitatem humani generis respiciunt. Facile vero illi, qui paulo attentius hæc ipsa considerat, in mentem veniet querere: an etiam officium quoddam detur, quo summam aliorum felicitatem curare teneamur? Et sane quæstionis hujus momentum & præstantia accuratorem meretur investigationem. Unde non inutili rei operam nostram impendemus, si, quid ex rationis principiis de eo statui possit, ea, quæ ingenue veritatis scrutatori conveniens est, ratione inquiramus. Ita vero hoc labore deducitur, sistamus, & deinde ipsas hujus officii partes & naturam oculis subjiciamus.

A 2

CAPVT

In quo

Principia obligationis ad hoc officium
exhibentur.

§. I.



Anus erit omnis labor noster in demonstranda obligatione nostra ad summam aliorum felicitatem curandam, nisi prius evictum fuerit, dari summam, ad quam quilibet homo adspirare debeat, felicitatem. In hoc igitur tractationis membro primum defigenda est nostra meditatio, quod ubi absolverimus, ipsa principia ac fundamenta ordine evolvemus. Prius §. II - XII. posterius §. XIII. seqq. expediemus. Illud dum evolvere aggredior, declarandum mihi esse autumo 1) quid sit *felicitas* hominis, & in quam adeo re posita sit felicitas ejus *summa*, §. II. III. 2) quod illa summa felicitas revera existat, §. IV. VII. 3) quænam ratio suppeditet subsidia ad eam perveniendi, §. VIII. IX. 4) quod rationis subsidia pro conditione hominum præsentis non sint sufficientia, §. X. XI. 5) quod tamen nihilominus summe probabile sit, Deum velle hominibus pleniori lumine viam illam monstrare. §. XII.

§. II.

Omnes homines felicitatem suam quærunt, videturque ipsis ille stimulus, quo ad felicitatem suam amplectendam feruntur, esse naturalis. Nec dubium est, dari felicitatem, quum facultates, quæ felicitatis capaces & appetentes sint, ab ipso Deo sapientissimo, qui nihil facere potest frustra, homini sint concessæ, quumque præterea varia objecta ab eodem ipsi sistantur, quæ pro diversa natura sua, diverso modo & gradu felicitatem hominis procurare possint. Quemadmodum vero diversitas objectorum, quæ felicem reddere possunt hominem, eorumque diversa proportio ad facultates hominis felicitate illa beandas, svadet, dari diversos felicitatis gradus: ita summus gradus erit, qui maximam ad facultates hominis proportionem, & convenientiam exprimit. Id saltem dolendum est, quod plurimi homines, dum omnibus navibus atque quadrigis felicitatem suam petunt, metam suam baud attingant. Ejus rei causa præcipua sita est in eo, quod pauci intelligant,

gant,

gant, quam in re felicitas vera consistat, & quænam sit summa hominum felicitas aliis omnibus bonis præferenda. Hujus vero naturam ita demonstro,

§. III.

Felicitas hominis consistit in perfectione facultatum ejus a Deo in creatione intenta. Felicitas igitur *homini propria* consistet in perfectione facultatum ejus, per quas ab aliis rebus adæquate distinguitur. Illæ facultates autem sunt intellectus & voluntas rationalis. Unde felicitas seu bonum homini *proprium* absolvetur perfectione *intellectus & voluntatis rationalis*. De bono enim corporis agere hoc loco nihil attinet, quum corpus homo cum aliis rebus creatis commune habeat. Facultates homini propriæ, intellectus & voluntas rationalis, non possunt perfici, nisi per objectum ipsis conveniens, cum quo jungantur. (Quod ex ipsa natura & indole facultatum, utpote quæ relationem ad objectum aliquod important, *duce sensone interna*, patet.) Ergo felicitas hominis vera consistit in conjunctione facultatum ejus rationalium, h. e. intellectus & voluntatis, cum objecto ipsis conveniente, cum quo Deus eas conjungi voluit. Conjungi autem intellectus cum objectis suis aliter non potest, nisi per cognitionem, nec voluntas aliter potest nisi per desiderium seu amorem, & fruitionem: sicque felicitas hominis vera & propria consistit in perfecta cognitione intellectus, & perfecto amore voluntatis, in objectis convenientibus terminatis. Jam quo convenientius & præstantius est objectum, cum quo intellectus & voluntas hominis jungitur, tanto major & præstantior est hominis felicitas. Hinc summa hominis felicitas consistit in perfectione intellectus & voluntatis per objectum convenientissimum & præstantissimum, cum quo ipsi conjungi datum est. Nunc autem perfectius objectum dari non potest Deo, qui omnem rationem veri & boni continet: ac proinde nulla præstantior cognitio excogitari potest, quam quæ ad ipsum, h. e. ad ens perfectissimum, refertur, nec bonum præstantius, in quod feratur voluntas, mente comprehendere potest, quam quod ex possessione ipsius, tanquam entis optimi, resultat. Nec dari potest objectum convenientius, quum ipse sit rerum omnium conditor, & auctor facultatum nostrarum, qui adeo eas plenissime perficere & exsatiare possit,

§. IV.

Si felicitas nostra summa in conjunctione cum Deo consistere debet,
 A 3 necesse

neceſſe eſt, ut Deus facultatibus noſtris ſeſe præſentem liſtæt; ut pateat, eum *velle*, ut nos cum ipſo conjungamur, ſive eum *velle* eſſe Summum noſtrum Bonum objectivum. Hoc autem ſatis manifeſte probari poſſe putem ex eo, quod ſeſe nobis *revelaverit*. Nimirum, ut hæc paulo plenius deducamus, ita ſummus rerum omnium conditor intellectum noſtrum formavit, ut poſſet tantam ejus cognitionem haurire, quanta ad beatitudinem noſtram in hac vita ſufficit, quandoquidem in natura creata ſummam ſuam ſapientiam, potentiam, bonitatem, & reliquas perfectiones ei cognoscendas obtulit. Nulla autem perfectior cognitio datur quam ea, quæ in Sapientia, potentia, bonitate, & reliquis perfectionibus ſummis Entis independentis, (quales ex penitiori naturæ cognitione patent) terminatur. Porro illa cognitio Dei per repræſentationes perfectionum ejus ex natura hauſtas excitata, ad voluntatem noſtram eam habet proportionem, ut hæc ſvaviſſimo ſenſu & lætiſſima perceptione afficiatur, ſeu voluntas noſtra ita eſt comparata, ut in iſtis intellectu repræſentationibus ſvaviſſime poſſit acquieſcere. Dum enim perfectiſſimam ſummi Numinis ſapientiam, potentiam, & bonitatem, qua omnibus rebus creatis de bonis, quæ iisdem convenientia ſunt, liberaliter proſpexit, vivide homo cognoscit: non poteſt non in voluntate delectatio, veneratio, gaudium, acquieſcentia, amor unionis exiſtere, & quo vividior eſt illa cognitio, tanto vividiores quoque erunt motus voluntatis, cognitioni reſpondentes.

§. V.

Sed quum eadem manifeſtatio hominibus, iisque *ſolis* facta eſſe deprehendatur: inde *ſpecialiſſimum* amorem Dei erga ſe homo colligere poteſt, & concludere, quod Deus *ſpeciali modo* ſeſe cum ipſo *unire* velit. Sane nullam aliam cauſam ejus manifeſtationis perſcrutari poſſumus. Aut enim Deus id fecit, ut ex illa manifeſtatione aliquid emolumenti redundet in ſeipſum, aut fecit hoc proptet emolumentum hominis. Prius non videtur verofiſſime, quum Deus ſit ens perfectiſſimus, adeoque ſibi ſoli ſufficiens, & præterea, ſi ea cauſa ſubeſſet, procul dubio ab omnibus creatis agnoſci maluiſſet & coli. Relinquitur ergo poſterius. Accedit, quod voluntas hominis, ut monuimus, ex manifeſtata Dei perfectione, ſvaviſſimum ſenſum percipiat, unde colligas oportet, finem Dei in manifeſtatione illa fuiſſe, ut ſpeciali gratia ad beatitudinem hominis influat. Quumque *ſoli* homini inter res creatas, quæ a ratione concipiuntur, manifeſtatio illa contigerit: certum

tum

tum hinc est, *speciali plane & singulari* amore Deum hominem prosequi, quo nullas alias res creatas complecti a nobis intelligitur. Sique Deus speciali modo amet homines, eum speciali quoque ratione iisdem benefacere velle, sequitur. Quando igitur Deus nobis, & quidem, *quantum ex rationis lumine intelligimus*, nobis *solis* eas facultates dedit, ut ipsius perfectiones in tantum possimus cognoscere, quantum ad voluntatis nostræ perfectionem, sufficit; sique illa manifestatio voluntati nostræ maximam suavitatem & voluptatem affert, atque nos de *amore Dei specialissimo* certos facit; si, inquam, Deus intellectui nostro sese *cognoscendum* sistit tanquam objectum *perfectissimum*, & voluntati nostræ sese exhibet *possidendum* tanquam *bonum nostrum perfectissimum*: sequitur, quod Deus *velit* nos per conjunctionem sui beatos facere, sicque summam nostram felicitatem in conjunctione cum Deo, per cognitionem, & per amplexum, seu amorem ejus, atque acquiescentiam in ipso tanquam in Summo nostro bono, consistere: adeoque felicitatem nostram summam etiam revera existere, satis probatum esse confidimus.

§. VI.

Ex dictis constat, conjunctionem hominis cum Deo fieri per Dei actionem tendentis ad hominem, & per motum hominis tendentis ad Deum. Motus, per quem Deus tendit ad hominem, sequitur cum ipso conjungit, consistit in eo, ut Deus perfectiones suas summam, per quas fit summum hominis bonum, ei sistat cognoscendas, ipsique amorem suum specialem percipiendum exhibeat. Motus autem, per quem homo tendit ad conjunctionem Dei, in eo consistit, ut facultates suas applicet ad influxum Dei benevolum recipiendum. Quo pertinet, ut Deum intellectu suo, tanquam ens perfectissimum, & tanquam summum bonum suum, ex naturæ creatæ contemplatione, quam distinctissime, quoad fieri potest, cognoscat: itemque ut voluntatis suæ motibus, Deo, enti perfectissimo, & summo bono suo, firmiter adhæreat, h. e. ut *omnia* mentis suæ *desideria* ad Deum dirigat, ut omni nisu & conatu mentis, cum summa contentione animi, cum maxima cupiditate in eum feratur, ejusque constanrem possessionem serio appetat, atque sic per plenam acquiescentiam in amore ipsius, eo fruatur, suavissimoque ejus amoris sensu intime afficiatur & exsatiatur. Porro ex deductis principiis patet, nos nihil magnopere dissentire ab illis, qui summum hominis bonum in *virtute* ponunt. Virtus enim vera nihil aliud est,

est, quam effectus amoris erga Deum. Unde ad nos nihil attinent objectiones, quas afferre solent, qui minus accurate dictum putant, Deum esse summum Bonum; modo observes, summam felicitatem nostram *in tali conjunctione* facultatum nostrarum cum Deo, qualem hætenus delineavimus, positam esse.

§. VII.

Hæc est summæ felicitatis nostræ ratio in hac vita. De felicitate hominum summa post hanc vitam nihil quidem necesse est hoc loco dicere, quum ad nostrum institutum persequendum sufficiat ostendisse, quam in re consistat summa nostra felicitas in hac vita. Interim ut meditationibus nostris integritas sua constet, existimo, rationem etiam *probabiliter* cognoscere, dari statum felicitatis post hanc vitam, animasque bonorum, qui in hac vita cum Deo conjuncti fuerunt, post mortem superstites, & fortassis majorem ejus felicitatis gradum adepturas esse. Certe si Deus ita *amat* homines, ut *se se cum illis velit conjungere*, & in illa conjunctione ipsos beatos reddere: vero videtur simile, ipsum eos, qui cum ipso fuerunt conjuncti, ipsoque frui cœperunt, non velle destruere, sed sibi conservandum esse. Quemcunque enim amamus, & quidem intime amamus, ejus conservationem volumus, & procuramus pro viribus. Deus autem potest nos conservare, quamdiu vult. Velle ergo eum nos perpetuo conservare, singularis ipsius propensio, familiaritas, & amor, quo in homines, eosque solos fertur, svadere satis videtur: præsertim quum nullam rationem esse videamus, cur benevolum suum affectum Deus mutet. Porro quum hac in vita homo non plene felicitatem suam attingat, siquidem nec cognitio nostra omni ex parte est perfecta, & amor noster atque acquiescentia nostra variis casibus intervenientibus turbatur; & vero facultates nostræ a Deo ita sunt conditæ, ut majoris felicitatis gradus capaces existant: valde probabile est, *sapientissimum creatorem opus suum, quod tantopere amat, non esse ita imperfectum relicturum, sed ad finem suum feliciter perducturum.* Quilibet enim sentit, nostram summi Numinis cognitionem hac in vita imperfectam relinqui, quum semper dies diem doceat, nec fons cognitionis profundissimus exhauriri queat, multæ insuper imperfectiones cognitioni nostræ adhæreant: voluntas quoque nostra non potest ita in ordinem redigi, ut Deum perfecto amore nunquam interrupto tempore complectatur, pleneque acquiescat.

§. VIII.

Quoniam igitur Deus sese tanquam Summum Bonum nostrum nobis revelavit, & adeo constat, ipsum velle, ut felicitate nostra in ipsius conjunctione fruamur: sequitur, quod homines sint obligati ad felicitatem illam quærendam, quam Deus ipsis impertire vult. Hinc simul manifesta est ratio, quomodo felicitatem suam desiderare liceat. Scilicet ideo ad felicitatem nostram tendere debemus, quia Deus voluit, ut felicitatis summæ in conjunctione ipsius fieremus participes. Quanquam vero beatitudo nostra sit merum benevolentia & gratia divinæ opus, a liberrima ejus voluntate procedens: nihilominus tamen certus ordo datur, in quo solo ad illam felicitatem homini pertingere licet, certæque adeo actiones ipsi præstandæ sunt, si ejus particeps fieri, vel ea constanter frui velit. Illæ actiones quænam sint, facile ex ipsa natura & indole summæ felicitatis, quam delineavimus, elucescit. Nempe quicquid pugnat cum illa conjunctione, illud omittendum: & quicquid ad illam conjunctionem stabiliendam, vel confirmandam pertinet, illud est faciendum. Quum igitur illa conjunctio cum Deo ex parte intellectus requirat cognitionem Dei: intelligit homo summæ felicitatis suæ studiosus, operam sibi dandam esse, ut Deum ex principiis naturæ, h. e. ex consideratione attenta & accurata rerum creaturarum, magis magisque agnoscat, & in primis veros ac sanos de Deo rebusque divinis formet conceptus. Intelligit, omnem suam cognitionem ad Deum ultimo referendam esse, indeque veræ eruditionis characterem ducit, quæ semper & ubivis Deum sequitur, quandoquidem omnis nostra cognitio versatur vel circa Dei intellectum in natura manifestatum, vel circa ejus voluntatem. Intelligit, illis, quas intellectus de Deo concipit, ideis respondere debere convenientes motus voluntatis, qui ad conjunctionem cum Deo spectent, quoniam operationes intellectus subordinatæ sunt dirigendis operationibus voluntatis.

§. IX.

Itaque porro concludit, nihil faciendum esse, quod amoris Dei sit contrarium, atque adeo eum, qui summæ felicitatis particeps fieri vel manere voluerit, totum sese componere debere ad voluntatem Dei, omnibusque viribus niti, ut Deo placeat, ejusque intentioni in omnibus satisfaciat. Hoc enim nisi fiat, quomodo subsistet conjunctio, quæ inter mentes contrarias dari non potest? quomodo acquiescere potest animus in Deo, cui adversatur, & quem propterea sibi placatum esse non posse colligit? neque ex sensu favoris divini non potest sequi placendi Deo, & in illo statu felicissimo perse-

B

severe

severandi studium, cum quo naturali prorsus nexu conjungitur obedientia. Quicquid igitur Deus vel sibi, vel aliis præstari voluerit, illud studiose illi, qui conjunctionem cum Deo serio appetit, exequendum erit: & ubicunque finis Dei ab homine promoveri poterit, omnes vires ad eam rem ipsi conferræ. Fiducia porro omnis in Deo collocanda, quum conjunctionis hujus natura requirat, ut ei tanquam summo bono nostro semper adhæreamus, & in eo acquiescamus. DEUM tanquam Summum Bonum omnes perfectiones continens submisso venerari, ac revereri, omnia præterea bona, mente ad Deum directâ, desiderare, i. e. precari, & in sapientissima ipsius voluntate ac providentia fata nostra dirigente, submisso animo acquiescere, & denique ipsum tanquam summum nostrum bonum omnibus bonis aliis, intimo affectu & propensione animi, præferre oportet. Ut vero voluntas hisce motibus concipiendis apta evadat, omnia adminicula adhibenda, quorum ope corruptio mentis per affectuum habitualium impetus contracta imminui, ipsaque voluntas in ordinem redigi queat.

§. X.

Sed eadem corruptio animum hominis ad felicitatem summam serio adspirantis insigniter deprimat. Nemo enim est, qui non per conscientiam propriam convincatur, se in plane alio, & prorsus istis ordinibus hucusque delineatis contrario statu esse: namque & actus & habitus conjunctioni cum Deo e diametro oppositos in se deprehendit. Illi actus & habitus eo ipso, dum felicitati ipsius adversantur, simul voluntati & legi divinæ sunt adversi. Legem Dei qui violavit, fecit aliquid, quod est contra voluntatem Dei, adeoque non potest cum Deo conjungi, sed est in statu rebellionis & inimicitiae. Si est in statu rebellionis & inimicitiae, non potest sibi amorem Dei promittere, sed potius, quum sentiat, se legem Dei violasse, eo ipso cognoscit, se pœnis divinis obnoxium factum esse: nam quicumque legem Dei violat, eum gravissime punire vult Deus, quum sine pœna omnis lex sit frustranea. Ex illo miserrimo statu homini legem divinam transgresso nullus alius patet exitus, quam per restitutionem plenam. Hanc enim necessariam esse, ex dicendis innotescet. Scilicet homo omni tempore, quo gaudet facultate rationali, & ea uti potest, obligatus est ad legem divinam solícite & pro viribus suis observandam, ita, ut nihil agat, quod lex vetet, sed ubicunque occasio sese offert, officia, quæ lex exigit, accurate persequatur. Obligatio- nis enim nostræ fundamenta nituntur hac ipsa nostra dependentia absoluta & per-

perpetua, itemque facultatis rationalis nostræ usu, per quam capaces sumus obligationis. Quamdiu ergo istæ relationes naturales persistunt, h. e. quamdiu homo a Deo dependet, quamdiu Deus homini relinquit facultatem rationalem, tamdiu perdurat obligatio. Si igitur homo eo tempore, quo peccavit libere, habuit usum facultatis rationalis: fuit omnino obligatus ad legem divinam *eo temporis momento* studiose implendam, & ad omnia illa omittenda, quæ quocunque modo ab illa recedunt. Eadem lex, ad cujus officia præcepta omni studio præstanda homo eo tempore, quo peccavit, obligabatur, est immutabilis, ita, ut id, quod eo tempore malum fuit, nunc mali naturam non exuat. Habet enim lex necessariam cum natura humana, ejusque relationibus ad Deum & alias res creatas, connexionem. Quamdiu itaque humana natura est humana natura, easdemque relationes ad Deum reliquasque res obtinet, tamdiu etiam actionum cum ea convenientia & inconvenientia necessaria est immutabilis. Unde si lex ad eundem casum referatur, mutari haud potest, dum una eademque ratio semper existit: secus si statuas, unum idemque, quod per se bonum est, eodem sensu & respectu esset non bonum, & Deus aliquid eodem respectu & tempore vellet fieri & non fieri, quod absurdum est. Quod si vero lex hominem obligans est immutabilis, & vero homo peccator, quo peccavit tempore, fuit obstrictus ad legem divinam observandam: ipse per eandem legem immutabili nec essitate per totum vitæ spatium obligabitur, ut id, quod præterito tempore neglexit, aut secus commisit, exacte impleat, vel emendet. Nam si vel maxime præsentis tempore Deus naturam, & relationes ejus mutaret, atque efficeret, ut id, quod olim erat prohibitum, jam fiat permissum: nihilominus tamen *obligatio ad præteritum tempus*, quo peccavit, spectans, inconcusis fundamentis subsistit. Quæ quum ita sint, necesse est, ut homo, qui cum Deo in gratiam redire, ejusque conjunctionem sibi promittere velit, plenam restitutionem præstet, ea, quæ præterito tempore neglexit, exasse compensando, hiatumque, qui jam in cursu vitæ ipsius existit, perfecte supplendo. Quamdiu non restituit, tamdiu est in statu defectionis & separationis a Deo, quum lex sit voluntas Dei, adeoque omnis, qui legi adversatur, voluntati Dei sese opponat: inter contrarios autem nulla locum habet conjunctio. Eo ipso vero, quod est in statu defectionis, peccati reatu constringitur: reatus autem peccati necessario trahit pœnam. Ergo quamdiu peccator non restituit, manet obligatus ad pœnam. Inde satis luculenter evinci potest, necessariam esse restitutionem, s. ut alii vocant, satisfactionem legi divinæ immutabili præstandam.

At talis restitutio hominis facultates plane excedit. Quomodo enim homo id, quod neglexit, legi restituat, qui omni tempore ad legem divinam omnibus modis adimplendam obligatur? Si autem homo omni tempore lege divina obligatur, ad cultum Deo debitum præstandum: sequitur etiam, quod hoc tempore, quo nunc vivit homo peccator, & per reliqua vitæ suæ spatia obligetur, ut Deo eum cultum exhibeat, quem præsentis temporis momenta requirunt. Atque hac ratione, quicquid homo post patratum peccatum facit ad legem divinam observandam, illud non potest spectare ad hiatum officiorum, qui ex violata lege præterito tempore extitit, explendum, sed spectat tantum ad officia illa, quæ homo eo, quo vivit, tempore, ex lege præstare indispensabili tenetur necessitate. Unde simul manifestum est, pœnitentiam neutiquam sufficere ad restitutionem. Per pœnitentiam enim officia illa, quæ neglecta fuerunt, non compensantur: neque malefacta eluuntur, quum ejus vis neutiquam sese extendere valeat ad tempus præteritum, ut infectum fiat id, quod factum est: Aliud enim est dolere de facto, & illud velle infectum: aliud re ipsa præstare, quod optes. Deinde ad pœnitentiam obligatur homo tanquam ad officium præsentis temporis. Pœnitentia enim quid involvit, nisi retractationem eorum, quæ facta sunt? Retractatio autem præsentis tempore a lege exigitur. Lex omni tempore ab homine exigit obedientiam: itaque quamvis homo aliquo tempore obedientiam legi denegaverit, obligatus tamen est non tantum ad obedientiam præterito tempore legi detrectatam, compensandam, sed etiam ad reliqua vitæ spatia omnia culturi divino consecranda. Si igitur homo peccavit, præter alia requirit etiam lex, ut jam officia sua debita impleat, & ad officium suum redeat. Quomodo vero hoc fieri posset, nisi prævia retractatione & detestatione eorum, quæ antea contra legem admissa fuerunt? Pœnitentia igitur non supplet hiatum, sed tantum pertinet ad transitum a statu peccati hucusque continuati, ad virtutis stadium. Hæc ipsa tamen impotentia restituendi, nullum præjudicium creare potest obligationi ad restituendum. Quando enim homo sibi eam impotentiam & miseriam propria culpa contraxit, legi profecto sua vis obligandi & præstationem neglectorum officiorum exigendi non perit. Cæterum ad demonstrandam religionis naturalis insufficientiam hoc jam sufficere autumem, quod nulla plane ratio habeat principia, ex quibus vel necessario, vel probabili nexu concludere quis posset, Deum vel posse, vel velle peccato-

to-

torem sine restitutione vel satisfactione legi præstita, modo pœnitentia malefactorum ducatur, ad gratiam suam admittere.

§. XII.

Ista autem quum sit rerum facies, sicine plane actum erit de hominis summa felicitate? sicine ineluctabilis ejus erit miseria? nullane igitur superest via malum hocce declinandi? Superest utique. Quanquam enim homo a Deo per varia peccata defecerit, atque deficiendo, felicitate summa exciderit: non tamen deprehendit penitus se a Deo rejectum esse; contra præclara amoris divini erga se signa adhuc animadvertit, ex quibus saltem hoc colligi potest, quod, quum homini de restitutione plena præstanda plane desperandum sit, ipse Deus velit viam ad conjunctionem cum ipso redeundi ostendere. De hoc autem affectu Dei nobis constat ex eo, quod homini facultatem ad cognitionem ipsius ceu Entis perfectissimi & optimi perveniendi, etiam post lapsum & defectionem reliquerit. Unde valde probabile est, Deum, licet offensum, tamen hominem sibi denuo uniendi consilium cepisse. Accedunt reliqua beneficia præclara, quorum maximum cumulum divina bonitas in homines, quantumvis peccatores, derivat. Nullo autem modo concipi potest, fieri posse, ut Ens *sapientissimum* naturam rationalem ad finem suum conditam, postquam ea a lege ipsius defecit, nulla inflictæ pœna, iisdem manentibus facultatibus finis sui adhuc quodammodo capacibus, non modo conservare pergat, sed etiam variis eandem beneficiis adhuc cumulet, nullo fine proposito, nullaque relicta via, qua ad finem, propter quem natura illa condita est, & adhuc conservatur, contendere valeat. Nec concipi potest, quomodo Ens *optimum* hominem deficientem, nulla tamen pœna affectum, quinimo multis beneficiis ornatum, incertum, & consilii divini de statu & officio suo in illo statu nescium possit relinquere. Si igitur verosimile est, homini rursus viam ad summam felicitatem patere: hominis jam est circumspicere, utrum Deus humano generi unquam voluntatem suam plenius revelaverit, & quum totus orbis certas revelationes proponat, sollicitè, characteribus genuinis applicatis, inquirere, quænam divinam veritatem & auctoritatem optime tueri possit. Imo hominis jam est officium, ex amore Dei viam reconciliationis pro summa sua benevolentia monstraturi, omnia cum sedula cura & industria exequi, quæ lumen naturæ præscribit officia, nec quicquam eorum committere, quæ voluntati summi Numinis sint adversa.

§. XIII.

Sicut illud extra omne dubium est, quod universi ac singuli homines

summam suam felicitatem cum debita cura quærere & appetere teneantur: ita jam quæstio primaria huic dissertationi proposita huc redit: Utrum etiam curas nostras ad *aliorum summam felicitatem promovendam* conferre ex officio debeamus? Ita omnino se rem habere, svadent maxima rationum pondera. Sane nullius obligationis major esse potest vis, quam ejus, quæ ex amore adversus Deum fluit. Hic ipse amor autem est, qui nos ad hoc, de quo sermo est, officium impellit atque obligat. Id vero ex triplici fundamento eruemus. PRIMO amor, quo Deum tanquam Summum nostrum bonum amplectimur, nos excitat, ut ex studio placendi Deo, *finem Dei* omnibus modis *pro virium mensura* promovere studeamus. Hoc ex indole & natura omnis amoris clarum est, qui semper amantem trahit, ut pro viribus omnia ea agat, quæ quocunque modo *intentioni amati*, imprimis si ille *sit superior*, satisfacere possunt. Jam vero Deus humanum genus ad *summam felicitatem* condidit, *finisque ipsius est*, ut homines in conjunctione cum ipso, summa felicitate fruantur, & ad eam tendant, utque ipse adeo bonitatis & amoris sui perfectissimi gloriam in illorum facultatibus demonstret. Dedit quoque homini *facultatem* alterius felicitatem summam procurandi, atque hæc est vocatio ejus interna. Quicumque igitur Deum intime amat, ille non potest non omnes facultatum suarum vires impendere ad hoc, ut hunc ipsum finem Dei nobilissimum ad summam perfectionem & salutem humanæ naturæ spectantem promoveat, eadem profecto ratione, qua homo per amorem Dei ad alios fines summi Numinis, ubicunque potest, promovendos, v. g. in societate, obstringitur & incitatur. DEINDE amoris erga supremum Numen ea est vis & efficacia, ut gloriam ejus perfectissimam ab omnibus agnosci & celebrari cupiat. Deum sincere & ardenti fervore qui amat, ille totus cupit resolvi in laudes divinas: nihil magis in votis habet, quam ut Ens perfectissimum omnia entia, ratione prædita quæ sunt, venerentur, devotaque mente celebrent: cupit, ut tota natura laudibus sui creatoris resonet: cupit, ut alia entia in laudibus divinis concinendis sibi opem ferant: nihil ipsi possit esse exoptatius, ex nulla re vehementius gaudium ipsi possit existere, quam si alii homines conjunctis viribus summam Dei perfectionem submisso animo extollant, & devota mente prosequantur. Ergo quicumque Deum amat, operam dabit, ut alii etiam homines ad solidas Dei laudes & venerationem ejus disponantur.

§. XIV.

DENIQUE amore erga Deum permovemur, ut *voluntati, jussibus, imo consiliis etiam, si quæ dantur, divinis* satisfaciamus. Nunc autem Deus vult, ut
homi-

homines inter se animis & voluntatibus conjuncti vivant ad communem tranquillitatem & utilitatem promovendam. *Primo* enim certum est, per conjunctionem animorum, & societatem recte constitutam hominum, insigniter emolumenta tum singulorum, tum universorum procurari. Deus autem quum amet homines, vult, ut humano generi bene fit, h. e. ut homines sua vera commoda inter se invicem, quousque possint, promoveant, quum ipsos ratione & facultatibus ad eam rem necessariis satis instruxerit. Sic v. g. nisi homo cum aliis sese jungat, non tantos in veritatis cognitione faciet progressus, qui tamen obligatus est ad veritatis studium cum omni diligentia persequendum. Porro dedit Deus hominibus facultates, ut possint sese animis conjungere. Quumque omnis conjunctio quodammodo inter similes procedat, omnes homines Deus iisdem facultatibus, & quidem ad eundem finem & felicitatem condidit. Dedit nobis facultatem, ut possimus cogitationes & propensiones mentis nostræ aliis commode communicare per sermonem, utpote qui est expressio cogitationum & propensionum mentis. In his omnibus vero quum Deus operatus esse intelligatur, quis eum frustra sine intentione, vel saltem ob finem permissionis operatum esse arbitretur? Illa *denique* animorum conjunctio, quæ inter homines esse debet, suam habeat necesse est finem. Finis ille non potest esse alius, quam ut homines unanimi consensu ad finem Dei omnibus præfixum tendant, suaque invicem commoda sedulo procurent. Id ex amore Dei erga omnes homines speciali concluditur. Si enim Deus speciali modo amat omnes homines, vult, ut omnes homines commodam & felicem agant vitam, quoad ipsis licet. Si Deus vult, ut omnes homines felicitate fruantur, vult etiam, ut nullus alteri obstaculum ponat in quærenda felicitate. Unde finis conjunctionis illius non potest esse damnum generis humani, sed debet potius esse ejus felicitas. Quumque præterea DEUS omnibus hominibus certum finem proposuerit, ad quem debent tendere, dubitari non potest, velle Deum, ut homines animis ac voluntatibus sese mutuo jungant, ad bona sua inter se invicem promovenda, & finem Dei conjunctis viribus exequendam. Quomodo vero ex hac ratione homo ad officium, de quo jam loquimur, obligetur, jam porro declarabimus.

§. XV.

Si Deus vult animorum conjunctionem, vult, ut homines se invicem ament: nam amor est affectus unionis, nec possunt mentes aliter conjungi, nisi per amorem, seu propensionem animorum mutuam. Si homines se invicem debent amare, sequitur, quod illud debeant facere, quo aliorum amo-

rem

rem sibi magis conciliare, & conjunctionem cum illis arctiorem & firmiorem reddere queant: unde quemadmodum vera aliis bona prospicienda erunt; ita etiam in eo vigilandum, ut ad unum finem animum suum dirigant, & ad unam summam felicitatem tendant. Certe nulla inter dissidentes sententiis & finibus, maxime summo bono, constans, saltem nulla arcta dari potest conjunctio. Ex ipsa natura amoris etiam sequitur bonorum communio, ut, si nos insigni aliquo bono exhilarati simus, ejus boni participes reddamus eos, cum quibus arctiorem ejusmodi conjunctionis nexum nobis intercedere judicamus, quemadmodum vicissim de felicitate ipsorum summopere gaudeamus, & ex ea rursus maximam capimus lætitiā. Si quis itaque ipse summa felicitate fruatur, amore impelletur, ut alios etiam sensu summi boni suavissimo perfundere studeat. Denique cum ipsis officiis, quæ societati debemus, arctissime hoc nostrum officii genus jungitur. Omnes sumus obligati ad id curandum, quod ad societatis conservationem, tranquillitatem, & utilitatem pertinet. Societas autem commodius non conservabitur, quam si omnes homines uno animo, salutem summam recte quærant, si summam felicitatem in omnibus actionibus respiciant: hanc enim si semper sibi propositam habebunt, religio inter omnes vigebit, indeque eveniet, ut nullus quicquam ab altero metuere debeat, ut nemo impediatur in felicitatis suæ cura, ut omnes sibi tuto possint fidere, ut omnes prompte pareant summis Magistratibus, ut omnia incommoda propter tranquillitatem publicam perferenda fortis animo sustineant. Religione sublata, præstantissimum vinculum, quo firmissime continetur civitas, solvetur: nec ad cives in officio continendos vel metus temporalis pœnæ, vel fides superioribus data, vel grati animi ob præstitam a superioribus defensionem lex sufficiet. Morti aliisque malis, quæ homines metuere solent, contemendis qui sufficiet, nihil non vel in imperantes, vel in cives tentabit.

§. XVI.

Evidens ex istis principiis est, maximam & indispensabilem esse obligationem ab hoc officium. Sumus enim ad illud obligati ex amore in Deum, & hinc fluente amore erga alios, qui ejusdem naturæ nobiscum sunt participes. Unde quam indispensabilis est amor adversus Deum, tam indispensable etiam hoc ipsum est officium. Gravissimus proinde est error quorundam, qui aperte profitentur, nullum hominem esse obligatum ad curam pro alterius religione, pietate, virtute, & salute suscipiendam, vel qui hoc officium saltem necessarium esse negant. Nec vero tanta vis inest rationibus,

quas

quas allegare consueverunt. Dicunt, ex ratione nihil de summa felicitate præter obscuros quosdam conceptus nobis innotescere. At licet lubentes fateamur, lucem, quam ratio hic nobis impertitur, esse satis tenuem, multaque obscura in hac doctrina reperiri, ubi nulla sufficientia relicta nobis sunt cognoscendi principia: id tamen, quod cognoscimus, jam sufficit ad partes hujus officii excellentissimi implendas, quibus utique longe perfectius satisfacere poterimus, ubi altiori lumine divina bonitas intellectum nostrum collustraverit. Inde dicunt porro, veritates, quæ ad caput de summa felicitate, & religione spectent, nimis subtiles, multisque controversiis expositas esse, ut proinde aliorum intellectum potius obtundant, quam instruant, ipsasque pertinere ad cognitionem secretiorem, ad quam non omnes sint admittendi. Sed non putem necesse esse ad hoc officium, ut ejusmodi subtiles veritates proponantur, quum clara & firma habeamus principia, quæ omnium captui possunt accommodari, quæque animum hominum, ut in quærenda sua felicitate summa recte se gerant, flectere & dirigere possunt. Alii prætendunt, religionem, quæ sit via ad summam felicitatem, esse opus voluntatis liberæ, & quemlibet hominum *ipsum* teneri pro sua salute curam gerere, quæ propterea unicuique sit relinquenda. Sed neque ex eo, quod religio sit voluntatis liberæ opus, sequitur, quod alter alteri religionis studium *suadere* non debeat; neque ex eo, quod quilibet ad suæ salutis summæ curam sit obligatus, colligi potest, *alios* ejusdem curæ partem non debere sibi vindicare. Alii existimant ad religionem externam honestatem jam sufficere, præsertim apud plebem: sed horum error ex natura summæ felicitatis, cum qua externa honestas nullum talem nexum habet, qualis hic requiritur, facile refellitur. Taceo reliqua, quæ minoris momenti sunt, & quorum nonnulla in secundo capite ex veris suis principiis brevibus, ubi occasio tulerit, refutabuntur.

C A P V T II.

Ubi

Ipsa natura & indoles hujus officii
exponitur.

§. I.



Principia in primo capite deducta si attente consideres, non obscura amplius erit ipsa officii hujus indoles. Est scilicet officium ex amore in Deum, & hinc fluente amore adversus naturæ socios procedens, quo homo ad Summum Bonum tendens,

C

dens,

dens, vel ejusdem jam particeps, studia sua in eo ponit, ut alios ad eundem finem a Deo conditos, ejusdem felicitatis per adminicula rationi rectæ convenientiæ participes reddat. Duplici modo officium hoc præstari potest, vel solida institutione, vel exemplo. Institutio, quæ instructione intellectus, & excitatione voluntatis absolvitur, est vel immediata, suscipienda, si tempus, vires, & aliæ circumstantiæ, permittant; vel mediata, per alios idoneos homines præstanda, si scilicet vel vires sufficientes desint, vel alia negotia necessaria, aliæve circumstantiæ impediunt. Alias distinctiones non prorsus inutiles, v. g. quod hoc officium vel ad universos totamque societatem, vel ad singulos referri possit, item quod illi satisfiat vel publice, vel privatim &c. hoc loco deducere nobis non est propositum, contentis earum fecisse indicium.

§. II.

Dico, ex amore in Deum & naturæ socios hoc officium procedere. Mirum igitur non est, si illi, quorum animus nullo amore Dei inflammatur, huic officio desint: patetque hinc, eos, qui officio hoc sese exemptos cupiunt, defectum amoris in supremum Numen satis clare prodere. Si amor in Deum hoc officium dirigit, nullæ nos ab eo deterrere debent difficultates, nulla incommoda, nullæ molestiæ, quæ nobis sæpenumero hac ex parte devorandæ sunt, nec ingratus aliorum animus. Omnia vincit amor, cujus tanto major vis hic sit oportet, quanto perfectius & præstantius ens est, in quod ille fertur. Præterea si ex amore Dei studium nostrum proficiscatur, & in reliquis partibus recte nos geramus, favorem Dei & præsidium certo nobis promittere possumus, persuasi qui sumus, studium nostrum Deo esse exceptum. Si ex amore erga Deum huic officio incumbere debemus, omnes vires ei præstando impendendæ, & pro facultatum nostrarum & subsidiorum ratione in eo evigilandum erit. Quamcunque enim actionem amor imperat, & dirigit, in ea omnes vires, omnem operam, curam, & industriam collocamus; amore incensi, pro ratione facultatum, & subsidiorum, cum diligentia & promptitudine, quanta fieri potest, maxima, id, quod amor exigit, exequimur. Amor autem in Deum quam intensissimus esse debeat; omnia illa, quæ amor illæ præcipit, studiosissime, omnibus facultatibus nostris diligentissime applicatis, omnibus subsidiis, quæ nobis offeruntur, cum summa cura adhibitis, agere oportet. Quo plus igitur facultatum, & subsidiorum quis habet ad hoc nostrum officium decenter exercendum: eo major ejus erit obligatio. Hinc, quid suarum partium hic sit, vident illi, qui insigni gradu sapien-

pien-

pienitiæ vel prudentiæ pollent, qui cum gravitate & pondere, nec non cum imperterrita animi libertate de talibus rebus, quæ hic in censum veniunt, differere, & orationem suam non tantum ad persuadendum, sed ad convin-
cendum componere valent, quorum ratio versandi cum aliis hoc peculiare
habet, ut amorem ac favorem aliorum sibi facili opera conciliare possint, qui-
bus opportuna occasio sæpius sese offert, item quorum dicta majorem aucto-
ritatem & fidem habent, quo nomine illi, quos Politicos communi loquendi
usu appellamus, omnium maxime, hoc officio obstringuntur, utpote quo-
rum dicta plerumque majori attentione digna esse judicantur.

§. III.

Tantum vero abest, ut Magistratus & summi principes ab officii hu-
jus lege immunes existimandi sint, ut potius ex fundamento allegato aperte
sequatur, ad ipsos ejus officii partes potissimum pertinere, ipsosque omnium
maxime ad eas implendas obligari, siquidem ipsi omnibus facultatibus & sub-
sidiis, quæ hic maxime requiruntur, sint instructi. Quæ in contrarium af-
ferri solent rationes, non sunt tanti roboris, ut fundamentum nostrum, eique
superstructam veritatem labefactare possint. Quod enim dicunt, Magistra-
tus & summorum principum curam sese tantum ad tranquillitatem societatis
externam extendere, neque Majestatem ipsis aliam ob causam ab illis, qui po-
testatem summam illis concesserunt, collatam fuisse, eo nihil contra nos con-
sequuntur. Pone enim, rem ita esse, sane nos obligationem Magistratus
& principum summorum ad curandam subjectorum sibi hominum felicita-
tem summam non præcise ex speciali muneris eorum in republica ratione, sed
ex generali eorum officio, quo aliis obstringuntur, & ex facultatibus, viri-
bus, & subsidiis, quibus illi ad hoc officium præ aliis præstandum adjuvantur,
deducimus. Deinde si summi Magistratus ex speciali muneris demandati
ratione obligantur ad hoc, ut tranquillitatem societatis publicam omnibus,
quibuscunque demum possunt, modis convenientibus tueantur, & vero
tranquillitas societatis publica externa nulla ratione commodius & constanti-
us conservari potest, quam per religionem & cultum summi Numinis, si
omnes homines ad summam felicitatem actiones suas referant, vid. Cap. I.
§. XV. patet, novo obligationis genere ex speciali dignitatis suæ ratione Ma-
gistratus obstringi. Neque exceptio quicquam valet, quod religio non ne-
cessario ad societatis tranquillitatem requiratur, dum rempublicam Græco-
rum, Romanorum, & aliarum gentium diu sine vero summi Numinis cul-
tu conservatam fuisse, videamus. Nam præterquam quod omnes gentes
C 2 quæ-

quendam cultum Deorum in republica sua observaverint, tametsi ille non fuerit genuinus, quaestio hoc loco non ea est : an societas sine vera religione quocunque modo, aliis adminiculis maxime violentis adhibitis, possit subsistere? sed de eo: an commode & constanter conservari possit? Tolle veram summi Numinis religionem, parquam ad summam nostram felicitatem tendimus, e societate, quamprimum violenta obstacula, quibus homines scelerati compescuntur, cessabunt, omnia misere perturbabuntur, ipsae civitates dimovebuntur, & sedibus suis convellentur. Porro contra assertionem nostram afferri non sine magna specie solet, religionem esse rem liberam, ad quam nemo vi sit adigendus, Magistratus autem & summos principes non habere, nisi violenta subsidia, quibus tranquillitatem societatis promoveant. Sed quemadmodum prius libenter concedimus, ita posterius negamus. Auctoritate & potestate sua summi principes nequaquam ad vim ob religionis causamjcupiam inferendam abuti debent: praeter violenta subsidia vero summis principibus alia suppetunt, quae nullam coactionem involvunt, sed in sola svasione, ut vocant, morali persistunt. vid. §. VIII. Leve est, quod opponunt, in Magistratus potestate non esse situm, animis hominum studium felicitatis summæ instillare, solius Dei hoc opus esse. Ergone hinc sequitur, homines plane nihil conferre debere, quo alii moveantur, ut libere felicitati suæ summæ studeant? ergone ex eo, quod sæpius sine nostro exciderimus, sufficiens causa actionem aliquam necessariam & utilem omittendi duci potest? Majorem splendorem, sed nullam soliditatem habet, quod dicunt, non sine summo periculo sententiam nostram defendi: sic enim principem falsæ religioni addictum, qui tamen illam pro vera habet, falsam religionem aliis persuadere debere. Distinguendæ hic probe sunt duæ diversissimæ quaestiones, primo: an princeps debeat curam felicitatis summæ eorum, qui potestati ipsius subjiciuntur, gerere? & deinde: qualem se præstare debeat princeps, ubi de religione suorum civium est sollicitus? Sane, uti postea §. V. monebimus, nemo prius religionem aliis persuadere debet, nisi principiorum religionis sollicita investigatio, & solida convictio præcesserit. Præterea si modo princeps falsæ religioni addictus, dum eam aliis persuadere studet, suis limitibus se recte contineat: periculum illud nequaquam tantum est, ut propterea veritatem aliquam ex adversa parte magnas utilitates afferentem in dubium vocemus. Firmo igitur nostra assertio stat talo, nec fundamentum nostrum ullo modo per rationes adversariorum labefactatum est. Interim etiam hoc concedimus, eo casu hoc officium Magistratus tam late se non extendere,

dere,

dece, ubi speciali & expressa ratione Magistratui tantum cura rerum ad externam reipubl. tranquillitatem pertinentium commissa fuerit, cura rerum ad summam felicitatem spectantium, aliis relicta.

§. IV.

Si ex amore erga alios tenemur felicitatis ipsorum summæ curam suscipere: illi, inter quos arctior nexus & conjunctio intercedit, hoc officium sibi cum tanto accuratiori studio & diligentia exhibere debent. Nimirum amor est affectus unionis, unde magis sese exerit, ubi propior & arctior datur conjunctio, sive illa ex naturali, sive ex superveniente & arbitraria relatione pendeat. Unde per se intelligitur, quid hoc ex capite parentes liberis, liberi parentibus, quid conjux conjugii, quid ex eodem sanguine nati, quid cives, quid affines, quid veri amici, quid illi, qui iisdem studiis aliisque relationibus juncti sunt, sibi invicem debeant. Si amor erga alios est mater hujus officii, non obscure hinc colligitur, istos imprimis, qui vel exemplo, vel doctrina sua, seu ore, seu scriptis divulgata, aliis in studio vero summæ felicitatis impedimento fuerunt, oportere in hoc officio cogitationes & curas suas figere. Hæc enim est indoles veri amoris, ut commodis aliorum promovendis serio incumbat, atque hinc, si quod nostra culpa impedimentum vel damnum commodis alterius objectum vel illatum fuerit, omni modo compensare vel restituere studeat. Ex eadem ratione liquet, omnia, quæcunque vero amori repugnant, a modo persequendi hoc officium, esse debere quam remotissima.

§. V.

In definitione nostra diximus, officio huic propositum esse, alios ad eundem finem a Deo conditos summæ felicitatis, quam Deus humano generi pro amore suo infinito destinavit, reddere participes. Quicquid ergo hoc ipsum officium ambitu suo complectitur, comprehendetur cura & studio, ut alii ad veram religionem, ac veræ virtutis studium perducantur. In id ante omnia incumbendum erit, ut homines, quos ita felices esse cupimus, sanos & convenientes de Deo rebusque divinis, itemque de beatifica cum Deo conjunctione forment conceptus. Summa nostra felicitas pariter & subsidia ad illam ducentia, i. e. tota religio, sub notione veri nobis innotescunt: veritas autem una est. Quicumque igitur vel de summa felicitate erroneos fovet conceptus, ita, ut eam aut plane neget, aut perversè concipiat; vel subsidia vera ac genuina haud intelligit: quomodo felicitatis summæ compos fieri poterit? Ad viam, qua itur ad summam felicitatem, pertinet

cultus Dei, & veræ virtutis studium. Vult vero Deus, ut cultum ipsi exhibeamus convenientem. Perversos & erroneos de Deo conceptus non possunt non perversa & absurda cultuum genera sequi. Qualis conceptus in intellectu est de objecto, in quod voluntas nostra ferri debet: talis quoque erit motuum voluntatis ratio, sive gradum, sive ipsam indolem actuum spectes. Sic si bonitatem vel justitiam Dei confuse vel perversè concipias, vel si Deum ut ens affectibus humanis, voluptati, ambitioni, & avaritiæ, deditum tibi sistas: voluntatis motus istis repræsentationibus confusis & perversis exacte respondebunt. Hinc omnis ortum traxit superstitio. Sic nullus dabitur verus timor, nullus amor, nulla fiducia, nulla obedientia, nullus honor verus summi Numinis sine vera ejus cognitione. Contra quousque sensus ille de Deo purus erit, eousque cultui puritas sua constabit. Quamobrem pestilentissimus error est eorum, qui omnem religionem tantum in voluntate quærent, nec quicquam præter voluntatis emendationem ad summæ felicitatis studium requiri contendunt. Porro nec perinde est, quodcunque religionis genus quis sequatur, si summam felicitatem consequi velit. Quum enim doctrinæ diversarum religionum sibi sint e diametro oppositæ, non possunt non diversos & contrarios Deum colendi modos præscribere, & in voluntate diversos ac contrarios motus procreare. Quando ergo tantum momentum in vera Dei & rerum huc referendarum cognitione positum est: nemo non videt, eum, qui aliis viam solide ostendere velit ad summam felicitatem perveniendi, non prius debere hoc arduum munus aggredi, quam accuratam & sufficientem omnium cognitionem sibi comparaverit, & *solida, firmis. que principiis nixa convictione* de istiusmodi veritatibus, animum suum imbuerit. Unde de religione vera non debet judicare ex instituto majorum, ex moribus ac consuetudine sectæ, in qua natus fuit & educatus. Cautè etiam procedat necesse est in communicandis illis veritatibus, ubi *clara vel sufficientia cognoscendi*, animumque convincendi *principia desiderantur*.

§. VI.

Intellectu aliorum cognitione veritatum necessariarum solida, instructo, jam opera nostra eo referenda est, ut animus alterius *vero Dei amore*, & hinc procedente *sincero virtutis studio*, quo vera religio absolvitur, imbuatur. Hujus enim necessitatem ipsa *summæ felicitatis natura*, quam Cap. I. §. VI. & IX. delineavimus, satis demonstrat. Quicquid huic amori erga Deum & veræ virtutis studio adversum est, vel illud quocunque modo impedit, de eo removendo oportet nos esse sollicitos, ne alterius animum rectè composituri ope-

ope-

operam & oleum perdamus. Huc ergo cogitationes nostræ sunt dirigendæ, ut voluntatem alterius affectuum turbis & fluctibus continuis agitatum sensim sensimque tranquillitati restituamus, & omnia pabula malis propensionibus, quas naturalis labes vel consuetudo contraxit, quanta fieri potest, industriis, subtrahamus. Cane & angue pejus vitandum est perversum illud institutum, quo affectus aliorum pravi in quotidiano convictu soventur vel excitantur, ita, ut homines ad id, quod sponte facere nolunt, cupiditatum pravatum illecebris trahantur, vel aliis artibus iisdem magis magisque immergantur; qua in re multi præclarum Politicæ artis specimen se exhibere autumant. Eadem ratione rejiciendi sunt modi ad religionem alios adducendi omnes, qui compositi sunt ad pravas propensiones seu passiones alliciendas & nutriendas. Tales enim modi aperte fini suo contrariantur. Vera religio tendit ad passiones supprimendas, & emendandas: neutiquam ergo illud conveniens licitumque ad religionem propagandam erit adjumentum, quo malis & corruptis affectibus pabula suppeditantur. In nemine ergo religionis studium provocare licet per commoda hujus vitæ, sive ad honores, sive ad opes, sive ad voluptates pertineant. Hac enim ratione, aliis non verum religionis studium instillamus, sed simulatam & fucatam speciem inducimus, ita, ut non ex solida mentis convictione, sed ex spe bonorum hujus vitæ, cœtui veram religionem profitentium sese adjungant. Hinc etiam fit, ut tandem in animo ipsorum vigeat religionis amor, quamdiu affectus affluentia bonorum desideratorum exsaturantur.

§. VII.

Cum summa prudentia & circumspectione modus ille affectus corrigendi & imminuendi adhibendus est, quo alium affectum in auxilium vocamus, ut alium pravum affectum fervidiorem, quam ut rationis frenum admittat, supprimamus. Equidem non satis commendari potest hic modus, si justis suis limitibus contineatur. quum virtutis studium hac ratione nobis expeditum & jucundum reddatur. Sic vehementem impetum ad vindictam, qui ex ambitione proficiscitur, faciliori ratione comprimere haud possis, nisi per misericordiam & benignitatem, quam ex admixta & proxime subordinata voluptate trahis: Sic tenacitatem avaritiæ commode per benignitatem & liberalitatem ex voluptate vel ambitione ortum trahentem; morositatem & in commodis aliorum promovendis tarditatem, vel defectum promptitudinis inserviendi, per officiosam promptitudinem ex voluptate vel ambitioni natam; invidiam avaritiæ, & æmulationem ambitionis per amo-

rem

rem ac benevolentiam ex voluptate genitam ; averfationem conviſtus cum aliis hominibus. & nimium folitudinis amorem , qui ex avaritia fequitur, per delectationem, quam voluptas ex converfatione haurire doct, libidinem fraudes ac dolos malos concinnandi, per avaritiam vel ambitionem excitatam, beneficio candoris ex voluptate manantis : meticuloſitatem voluptatis vel avaritiæ per animoſitatem ambitioſam ; ejuſdem mutabilitatem per conſtantiam & in judicando firmitatem ambitionis ; negligentiam item & incuriam per diligentiam ambitionis vel avaritiæ, loquacitatem per taciturnitatem ambitionis optimo ſucceſſu debellabis. Imo effectus unius affectus per alium ejuſdem propenſionis, v. g. prodigalitas voluptatis per paupertatis & incommoditatis graviffimæ cum illa conjunctæ averfationem, quæ ex eadem voluptate fluit, impugnari poteſt. Sed niſi hæc omnia caute tractentur, ſummum exinde attrahere ſibi quis poteſt periculum. Cautio vero huc redit, ne affectum malum alio affectu æque malo , vel etiam conjunctis duobus affectibus pravis, aggrediamur, ſic enim vitium in vitium mutaremus, ſiquidem tales affectus in ſubſidium ſunt accerſendi, qui ſimulacrum virtutis referunt : deinde vero ſimul opera danda eſt, ut, quam primum natura ſimulacris ejuſmodi virtutum aſſiveſceta eſt, ea in veras virtutes, accedente ſeria intentione Deo obediendi, mutemus, nec in habitum degenerare patiamur. His limitibus recte obſervatis, adjumentum inſigne emendationi affectuum afferetur : iisdem neglectis, irreparabile damnum nos manebit. Quoniam virtutis ſtudium pro ſtatu & conditionis varietate variis actibus ſeſe exerit, & vero ex vitio hominum multa obſtacula in omnibus fere vitæ generibus illi objiciuntur : id elaborandum jam erit, ut relationem cujuſvis ſtatu ad religionem ac virtutis ſtudium, & impedimenta ex occasione illius enata, accurate cognoſcamus, ut hac ratione de remediis & ſubſidiis, quæ iſtis impedimentis opponi poſſunt ad virtutis ſtudium nunquam interrupto labore proſequendum, cogitare, alterique proſpicere queamus.

§. VIII.

Ad religionem & proſecutionem ſummæ felicitatis, cum violentia neminem eſſe compellendum, jam non poteſt ambiguum aut obſcurum eſſe. Scilicet ita Deus hominibus ſummam felicitatem propoſuit, ut ad eam libere contendant : actus religionis ſunt subordinati ſummæ felicitati : Unde ſi felicitas, ſumma libere ab homine obtineri debet, ſequitur, quod etiam religionem libera voluntate amplecti debeat, adeoque omnis coactio, contraria
quum

quum sit naturæ religionis, ab hoc officio plane remota sit, oportet. Nullus princeps vel armis vel jactura bonorum hujus vitæ, aliave mala infligendo, v. g. exilio, exclusione ab honoribus &c. homines suo imperio obnoxios debet cogere; tametsi errantes, ubi publicam tranquillitatem turbaverint, vi compescere, poenisque civilibus afficere ipsi liceat: neque parens violentiæ viam ingredi debet, si filio religionem veram, quam ipse, relictis erroribus, fuit amplexus, persuadere velit. Interea ex eo, quod princeps omni vi in religione propaganda abstinere debeat, neutiquam hoc sequitur, quod ipse non sit obligatus ad summam aliorum felicitatem debito modo curandam.

§. IX. Denique hoc in definitione nostra expressimus, adminiculis s. modis rectæ rationi convenientibus in officii hujus partibus implendis utendum esse. Quo ipso tacite innuimus, institutionem & convictionem aliorum de veritatibus religionem & studium summæ felicitatis fundantibus, ita peragendam esse, ut solidis rationibus, & genuinis principiis superstruatur, omnibus præjudiciis, omni auctoritate, reliquisque fallendi artibus procul ab hoc instituto remotis. Unde jam inde a prima juventute principia religionis vera & prima hominibus sunt exponenda, clarique de omnibus veritatibus conceptus communicandi, nexus item veritatum specialium cum suis principiis, & inter se, distincte demonstrandus, qui solus si penitus perspectus fuerit, solidissimum invictissimæ convictionis fundamentum, crede mihi, potest sternere. Qua de causa sensu veri & falsi subtilissimo gaudere debet is, qui hac ex parte discupit facere, quod suum est: unde etiam hunc ob finem cum omni contentione & dimicatione animi annitendum, ut facultatem Logicam nobis comparemus, quorum studia eum in primis scopum sibi præfixum habent. Ab ingeniosis argumentis in hujusmodi institutione plane abstinere velim, nec auctor sim, ut multa, quæ ab operatione memoriæ dependent, immisceantur: præstat judiciosi ratiocinationibus, quibus inconcussavis semper relinquenda est, rem suam agere. Ut vero rationes & principia altius menti infigantur, id simul agendum est, ut voluntas iisdem moveatur, sensuque vivido veritatum propositarum afficiatur. Huc vero quemadmodum multum jam confert, si omnes veritates diligentissime ad sensationem reducamus, & ex eadem semper demonstremus, itemque elegantissimum veritatum religionem constituentium nexum paulo clarius repræsentemus; ita felicissime omnium tum procedet hoc consilium, si momenta doctrinarum luculenter expediamus, vim earum ad actiones vitæ dirigendas delineemus, atque sic eas ubivis genuino scopo & usui applicemus. Huc facit etiam illud, ut rationes & principia, quibus ad convincendum utimur, ea potissimum parte repræsentemus, qua animum eorum, quos instruimus, maxime afficere, atque attentionem conciliare possint.

D

§. X.

§. X. Si per rationi convenientia adjumenta hoc officium actu exerceri debet, nihil magis erit necessarium, quam ut cum prudentia summa, quæ virtus naturam ratione præditam maxime ornat, isthoc officiorum genere defungamur. Institutiones ergo, ad monitiones, & dehortationes nostræ semper loco, tempori, dignitati & dispositionibus hominum, cum quibus nobis res est, debent esse attemperatæ. Hinc superiores & sapientiores non directe, sed indirecte & per principia admonendi. Ubi videmus, animum alterius nostra reprehensione magis magisque irritari, ibi tantisper abstinendum, & magis opportunum tempus expectandum. Indoli & inclinationi naturali, quousque justitiæ leges permittunt, nosmet accommodare, & sæpe ex affectuum vehementia & incommodis, quæ per sentiscit alter, occasionem emendationis arripere consultum est. Artem cum aliis commode versandi addiscere, moresque jucundos, quibus aliorum animos nobis conciliemus, auctoritatemque pariamus, induere oportet. Non semper ipsimet huic officio immediate satisfacere debemus, sed sæpe mens & consilium requirit, ut per alios, v. g. per conjugem, amicos, liberos, aliosque, quos noster vel amat, vel reveretur, id, quod intendimus, efficiamus. Ita hic porro versandum, ut sæpe quasi aliud agendo id agamus, ad quod obligati sumus, atque quasi e longinquo animos hominum petamus. Veritates item sublimiores & secretiores non cuivis sunt propalandæ, sed salvo hoc officio, reticeri ac mente premi possunt, quum veritates imprudenter propositæ sæpenumero per accidens fieri possint noxiæ. Semper vero curas nostras conferre potissimum par est ad eos in hac via summam felicitatem respiciente, dirigendos ducendosque, qui rursus alios cum auctoritate, & singulari vi flectendi facultate pollent. Prudentiæ enim est, res semper ita disponere, ut, si fieri possit, ex una actione ad plures emolumentum redundet. Cæterum dum prudentiam, quæ in hoc officio sit id, quod anima in corpore, requirimus: eo ipso viam aperuimus ad varias exceptionum, quæ ad infringendam hujus officii necessitatem compositæ sunt, nebulas dispellendas.

§. XI. Paucis perlustranda sunt reliqua. Monuimus, institutionum esse vel immediatam, vel mediatam, qua aliorum opera utimur. Quum vero res magni momenti, semper tutius, magisque consultum sit, ut ipsi perficiamus, quam ut aliorum fidei eas committamus: non temere ad institutionem mediatam confugiendum nobis est in hoc gravissimo negotio, sed ubi nos ipsi immediate hocce officium præstare possumus, & quousque possumus, semper prompto ac lubenti animo operi huic præstantissimo manus admoventæ, Et si quando res ita postulat, ut aliis hocce munus nostra vice expediendum committamus, providendum sedulo erit, ut cum fide & diligencia

gentia

gentia accurata, quicquid officii hujus ratio requirit, efficiatur. Mores patrum familias imitari decet, qui Oeconomis suis rei familiar. curam relinquunt, ita tamen, ut fidem ac diligentiam eorum observent, ejusque experimenta sæpius capiant. Unde parentes neutiquam existimare debent, se ab omni cura summæ liberorum felicitatis jam liberos esse, si ipsis tales viros præfecerint, qui studia & mores illorum quocunque modo dirigunt. Ubi igitur conditio facultatum & status nostri ratio institutionem mediatam svadeat, quum scilicet nobis vel vires sufficientes desint, vel alia gravia ac necessaria negotia animum nostrum occupent, vel aliæ circumstantiæ justæ impediunt: ibi alii idonei homines deligendi sunt, quorum ope in officio hoc secundum divinam intentionem præstando utamur, utque illi demandato sibi muneri satisfaciant, prospiciendum. Ex hoc ipso vero fundamento veritas aliqua magni momenti deduci potest, quod sc. recta ratio sacrum, quem dicimus, ordinem, cui facultas alios in principiis religionis instituendi publice competit, neutiquam repudiet, & extirpandum svadeat, quæ nonnullorum nostra ætate & olim fuit sententia, sed quod ex ratione potius probari possit, eum tantum non necessarium, certe valde commodum & utilem esse. Scilicet omnes in universum homines obligati sunt ad curandam aliorum summam felicitatem, adeoque etiam tota societas obligatione illa obstringitur. Ut vero quis solide alios de felicitate summa, & via ad eam perveniendi instruere valeat, requiritur meditatio & intensior rerum consideratio. Humani gen. & societ. interest, & momentum atq; excell. rei exigit, quam solidissime homines in relig. instrui. Nec vero omnes homines propter alia negotia ad societatis conservationem ac tranquillitatem pertinentia, quæ ipsis incumbunt, tantum temporis meditationibus de religione possunt impendere, quantum ad solidam earum rerum omnium cognitionem & aliorum instructionem distinctam requiritur. Quapropter consultum videtur rationi, ut certum hominum genus huic studio unice se consecret, principiis veris evolvendis operam navet, item facultatem alios dextre erudiendi acquirat. Eadem hic militat ratio, quæ in aliis vitæ generibus obtinet. Omnes commoda totius societatis pro viribus tenentur promovere: commoda societatis sunt varia: nec singulorum opera ad omnia societatis commoda sese extendere potest: ergo bene fecerunt homines, dum diversas operas diversis vitæ generibus distribuerunt. Sic enim commodissime societatis commoda præclara ratione procurari possunt, dum hæc hominum caterva sese applicat ad hoc commodorum genus, alius cætus ad aliud, & sic porro. Quidni ergo etiam certus hominum ordo existeret, qui sua studia ad institutionem aliorum, qui vel dotibus animi, vel tempore & occasione destituuntur ad penitiorum harum rerum investigationem proprio Marte, sine duce, instituendam, ex instituto conferant, atque studium aliorum in summa felicitate propria curanda positum sua opera mirum in modum adjuvent? Interea si illi, qui hanc operam in se suscipiunt, plerumque muneri suo exacte obeundo non sint sufficientes, vel non satis idonei: obligatio ad universos reddit, ita, ut quilibet pro virium suarum facultate & occasione, dum in vita quotidiana cum aliis versatur, sine turbis tamen, facere, quod debet, teneatur. Nemo autem laude præstiti hujus præstantissimi officii defraudari debet, qui mediate ad solidam aliorum institu-

tio-

tionem hoc in negotio aliquid confert: quilibet etiam, quantum potest, conferre debet. Tale quid esset, si quis experientia & usu insignis, aliis viris doctis, prudentibus, & moderatis, qui ex speciali muneris sui ratione aliorum mores formare debent, vitia & defectus, qui ex hominum perversitate certis vitæ generibus adhærent, aperiat, atque hac ratione principia prudenter cum illis versandi suppeditet.

§. XII. Neq; vero in sola institutione acquiescendum, sed etiam exemplo nostro excitandus est alter ad serium & constans summæ suæ felicitatis studium. Dicitur non potest, quantam exempla ad movendum vim habeant. Nimirum dum alios videmus magno conatu & nisu aliquid agere, ad eundem fervorem excitamur, ex eo, quod ex istiusmodi contentione concludamus, eos rem, ad quam tendunt, labore & studio dignissimam esse, agnoscere, item quod videamus, viribus humanis datum esse bonum aliquod obtinere: contra ubi alios in prosequendo bono, cujus excellentiam verbis extollunt, languidos & remissos conspicimus, iudicium ipsorum non ex animi sententia procedere, ex ea, quæ nobis inest, corruptione, opinamur, vel viribus humanis non posse obtineri nobis persuademus. Idcirco nihil magis commendatum nobis esse debet, quam ut tales nos geramus, ut alii ex vitæ nostræ instituto, quam fieri potest clarissime, intelligant, nos serio summam nostram felicitatem desiderare, & ad eam omnes actiones nostras tanquam ad ultimum scopum, qui naturæ nostræ præfixus sit, referre. Omnia erga nostra facta, omnes gestus, omnes sermones ita dirigantur, ut semper submissam venerationem & reverentiam Entis perfectissimi, a quo toti depeudemus, & sincerum ad voluntatem ejus perfectissimam nos totos componendi studium, exprimant. Verbis obscœnis, impiis, cultumque divinum lædentibus, vel etiam temerariis, abstinere, quicumque aliis obstaculum in signe quominus ponat, cavere voluerit. Quicquid exemplo nostro ad alterius studium, quo summam suam felicitatem consecratur, confirmandum, vel ad pios motus in mente aliorum excitandos, conferre possumus, id per hujus officii legem debemus. Quæ si attente perpendamus, lucem hinc accipit quæstio: an ad cultum Dei externum per rationis lumen obligemur? Certe si cultus Dei externus compositus est ad alios commovendos, & igniculos pietatis, tranquillitatis, lætitiæ sanctæ in animis ipsorum excitandos, si ipsa experientia nos edocet, animum nostrum aliorum pietate insigniter affici: nullum firmiter affirmandæ quæstionis fundamentum existere poterit. Necessarius igitur videtur esse cultus externus, non propter Deum, quippe qui intimos mentis recessus exploratos habet, cui proinde necesse non sit ut vel desideria mentis nostræ ex sensu indigentia nostræ orta, vel venerationem & cultum verbis explicemus; sed propter homines. Propter homines autem observandus erit, non tamut fiduciam aliorum nobis tanquam piis viris conciliemus, quam ut in aliis motus pios ad reverentiam, amorem, & obsequium adversus Deum directos incendamus. Hanc rationem si sequamur, objectiones a dissentientibus allatæ sine magna opera, & cum fructu poterunt retundi: sique intra istos limites nos contineamus, nullam puto justam superesse causam, eam veritatem in dubium vocandi, vel ultra modum perstringendi. Quod reliquum est, dum summa aliorum felicitas nobis curæ cordique est, dum intellectum aliorum solidis veritatum necessariarum principiis instruimus, semper cogitemus illud Senecæ Ep. 6. Longum iter est per præcepta: breve & efficax per exempla. Commode quoque huc reliqua mutatis mutandis trahi possunt: Zenonem Cleanthes non expressisset, si eum tantummodo audisset: vitæ ejus interfuit, secreta perspexit, observavit illum, an ex formula sua viveret. Plato & Aristoteles, & omnis in divitum itura sapientium turba, plus ex moribus, quam ex verbis Socratis traxit &c. Cogitemus, exemplo plurimum alterum alteri, ad summam felicitatem, sapius etiam plus, quam institutione, esse collaturum.

Coll. Diss. A. 77, misc. 50